Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Ecce creditor uenit ut collat duos filios meos ad se-
uiendum sibi. Cui dixit helyseus. Quid uis ut faciam
tibi: Dic mihi: quid habes in domo tua: At illa re-
spondit. Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea.
nisi parum olei quo ungar. Cui ait. Vade et pete mu-
tuo abomnibus uicinis tuis. uasa uacua non pauca:
et ingredere et claude ostium cum filiis tuis tu et filij
tui. et mitte inde in omnia uasa hec et cum plena fuerint tol-
les. Fuit igitur mulier et clausit ostium super se et super filios
suos. Illi offerebant uasa: et illa infundebat. Cumque
plena fuissent uasa dixit ad filium suum. Affer mihi ad
huc uas. Et ille respondit. Non habeo. Stetitque oleum.
Venit autem illa: et indicauit homini dei. Et ille uade inquit
uende oleum. et redde creditori tuo: tu autem et filij tui uiuite
de illo. R. exhaurens ilic. V. cereliquo. Secundum Math.
Discipulos suos dixit symon petro. Si peccauit in te fra-
ter tuus: uade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te au-
dierit lucratus es fratrem tuum. Si autem non te audierit.
adhibe tecum adhuc unum uel duos. ut in ore duorum uel
trium testium stet omne uerbum. Quod si non audierit
eos: dic ecclie. Si autem ecclesiam non audierit: sit tibi sicut
ethnicus et publicanus? Amen dico uobis. quecumque
alligaueritis super terram. erunt ligata et in celo. Et quecum-
que solueritis super terram. erunt soluta et in celo. Iterum dico
uobis: quia si duo ex uobis consenserint super terram
de omni re quamcumque petierint. fiet illis a patre meo.
qui in celis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati
in nomine meo. ibi sum in medio eorum. Tunc accedens
ad eum petrus dixit. Domine: quotiens peccabit in me